



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 98. Indignatio Regis contra Hispanum propter Condæum Principem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

§. XCVIII.

*Indignatio Regis contra Hispanum
propter Condæum Principem.*

Hunc in finem Henricus Rex in Ger-
maniam & Italiam præprimis arma
sua inferre festinabat, incitante eum,
ut fertur, indignatione in Philippum III.
Hispaniæ Regem exinde concepta, quod
hic Condæo Principi asylum Mediolani
concessisset. Erat hic Princeps paucis
ante Mensibus Carolinæ Margarithæ
Montmorentiæ, foeminæ ob formæ di-
gnitatem notissimæ, connubio junctus:
Dominabatur eo tempore in Regis aula
furtivi amoris licentia, cujus formido
facile novo sponso suspicionem Corri-
valis ingerebat, quæ magis aucta erat
visis literis haud incogniti Proci, cujus
potentia ac Majestas subdito de injuria
expostulandi libertatem inhibuit, ex-
peditam vero id, quod vita carius erat,
rapiendi viam Amatori aperuit. Enim-
vero novam sponsam, ne thalami San-
ctitatem, fidemque violaret, honestatis
amor retrahebat, ut tamen a potentif-
simo Rege, quem fors non admodum
diligebat, saltem diligeretur, eique pla-
ceret, incitabat illam tantæ dignatio-
nis ambitio, licet eam adhuc rationis
lupato regere conaretur: anxias vero

*Hist. du
Parlem. de
Paris cap. 43.
pag. 211.
P. Daniel
hist. de
Franc. t. 10*

Sæc. XVII. Principis curas stimulabat ejusdem Ma-
A. C. 1610. ter, quæ, improvida profus sinceritate, Filio suo detexerat, quod in Trignii, qui Regi in paucis charus erat, Palatio eundem ad Sponsæ suæ pedes provolutum viderit: Hoc percepto juvenis Princeps, æmulatione ac iracundia audaciam stimulante, amaras in Regem querelas effundens, eumque posthabita reverentia *Tyrannum* appellitans, unacum conjugæ suæ, cujus forma funestam malorum tempestatem concitatura timebatur, Bruxellas secedere statuit: Hanc equidem fugam honoris, & decentiæ leges, necnon conjugii, libertatisque innatæ jura a crimine absolvere videbantur, nihilominus Rex indignatione motus Hannibali Estræo, suo Bruxellis Oratori injunxit, ut Archiduces precibus ac minis compelleret, quatenus Principem unacum sua conjugæ in Franciam remittere vellent. His vero datam eidem fidem violare recusantibus, Condæus, cum violenter ab Estræo abduci pertimesceret, uxore sua Bruxellis relicta Mediolanum contendit, ibidem die trigesima prima Martii a Fontano Comite Hispano perhonorificè exceptus: Sollicitabatur, instigante ipsomet Rege, a pluribus emissariis, ut Mediolano, ubi Franciæ hostes degerent, relicto Romam

mam peteret, facile summi Pontificis **Sæc. XVII.**
 opera Henrico Regi reconciliandus: **A. C. 1610.**
 ait illis Princeps reposuit, quod in Pon-
 tificis constantia ac fortitudine parum con-
 fideret, eo quod eum non sine ignavia nota **Rigault.**
Venetis cessisse nosset, & si Paulus V. pa- **pag. 285.**
rem cum Sixto V. animi magnitudinem ha-
beret, jamjam Ecclesie fulmina vibrasset
in Regem, qui Lutheranis Principibus Ju-
liacum usurpantibus opem & arma suppe-
ditat. Nihilominus Condæus literis ad
 Papam datis sat comiter sese excusabat,
 quod Romam venire hæsitaret, cum
 Hispaniæ Regem offendere pertimesce-
 ret, ad quem ex Galliis ea duntaxat ex
 caussa confugisset, ut sacratissimas con-
 nubii leges omnino intemeratas serva-
 ret, proin penes ipsum quoque foret,
 quid in hac rerum vicissitudine sibi ma-
 gis proficuum esset, decidere.

§. XCIX.

Franciæ Regina ritu solemnè inau-
gurata.

Igitur Henricus Franciæ Rex ipse per
 se præsens semper in agmine futurus, **Memoir. de**
 grandem hanc in exteras Germaniæ & **Sulli t. 2.**
 Italiæ terras expeditionem suscipere se- **p. 246. 325.**
 stinabat, bellici apparatus sui terrore, **& seqq.**
 certæque victoriæ spe totam Domum **Hist. de**
 Austriacam devorans; jam enim septem **France**
 P. Daniel
 abhinc **l. c. p. 445.**